



COLLOQVIVM DECIMVM

Persōnae: Iūlia, Syra

Iūlia et Syra in hortō ambulant cum Margarītā, cane Iūliae parvā et crassā. Sōl lūcet in caelō sine nūbibus. Iūlia laeta canit.

Canis eam canere audit et caudam movet.

Ecce avis ante canem volat. Canis avem ante sē volāre videt et currit, sed avis iam procul ā cane est. Canis, quae avem capere vult neque potest, irāta lātrat: “Baubau!”

Iūlia canem suam vocat: “Margarīta! Veni!”

Canis cōsistit et ad Iūliam, dominam suam, currit.

Syra: “Necesse nōn est canem vocāre, neque enim canis avēs capere potest.”

Iūlia: “Sed avēs canem timent.”

Canis iam fessa iacet ad pedēs Iūliae. Syra canem crassam in herbā iacēre videt eamque spīrāre audit.

Syra: “Canem tuam crassam nūlla avis timet.”

Iūlia: “Margarīta nōn est crassa!”

Canis aspicit Iūliam et caudam movet.

Iūlia: “Sed cūr nōn canunt avēs? Quid timent?”

Syra: “Nōn canem fessam, sed avem feram timent.”

Iūlia: “Quam avem feram?”

Syra magnam avem quae suprā hortum volat digitō mōnstrat:

“Ecce avis fera quae ā parvīs avibus timētur.”

Iūlia caelum aspicit et magnam avem suprā sē volāre videt. Avis magnīs ālis sustinētur, neque Iūlia ālās movērī videt.

Iūlia: “Quae est illa avis?”

Syra: “Est aquila, quae cibum quaerit.”

Iūlia: “In caelō cibum reperīre nōn potest.”

Syra: “Nōn in caelō, sed in terrā cibum quaerit. Aquila enim bonōs oculōs habet et parva animālia procul vidēre potest.

Aquila est avis fera, quae aliās avēs capit et ēst.”

Iūlia: “Avis improba est aquila!”

Syra: “Magna aquila etiam parvam puellam capere potest et ad nīdum suum portāre.”

Iūlia: “Quid? Mēne aquila portāre potest?”

Syra Iūliam aspicit: puella tam crassa est quam canis sua. Syra rīdet neque respondet. Iūlia eam rīdēre nōn videt, nam caelum aspicit neque iam aquilam videt.

Iūlia: “Iam abest aquila.”

Syra: “Est apud nīdum suum.”

Iūlia: “Ubi est nīdus aquilae?”

Syra: “Procul in monte est, quō nēmō potest ascendere. Puerī nīdum aquilae reperīre nōn possunt.”

Iūlia: “Sed aliōs nīdōs reperīre possunt. Ecce puerī quī nīdōs quaerunt in arboribus.” Iūlia Mārcum et Quīntum in umbrā inter arborēs errāre et nīdōs quaerere videt.

Iūlia et Syra in sōle sunt.

Syra: “Venī in umbram, Iūlia!”

Iūlia canem, quae ad pedēs eius iacet, pede pulsat: “Age, curre, Margarīta crassa!”

Syra canem aspicit, et rīdet. Etiam Iūlia rīdet.

Margarīta ante Iūliam currit ad parvam arborem. Canis caudam movet et lātrat: “Baubau!”

Ecce avis perterrita ex arbore volat. Iūlia et Syra cōsistunt ante arborem, unde parvae vōcēs audiuntur: “Pīpīpī, pīpīpī!”

Iūlia Syram interrogat: “Quid hoc est?”

Syra rāmōs et folia arboris movet et inter rāmōs parvum nīdum videt. Syra nīdum prope aspicit.

Syra: “Ecce nīdus in quō quīnque pullī sunt. Aspice, Iūlia!”

Iūlia nīdum aspicit, neque pullōs videt, quia nimis parva est.

Iūlia, quae pullōs aspicere vult, imperat: “Impōne mē in umerōs tuōs, Syra!”

Syra: “Umerī meī tē portāre nōn possunt.”

Iūlia: “Sustinē mē tantum!”

Syra Iūliam ā terrā sustinet. Iam puella pullōs videt in nīdō.

Pullī autem tacent neque iam pīpīant.

Iūlia: “Ō, quam parvī sunt! Cūr nōn pīpīant neque sē movent?”

Syra: “Quia perterritī sunt; tē enim vident.”

Iūlia: “Pullī mē vidēre nōn possunt, neque enim oculōs aperiunt.”

Syra fessa puellam crassam in terrā pōnit.

Syra: “Sed vōcem tuam audiunt pullī — et māter pullōrum tē nōn solum audit, sed etiam videt. Audī: avis pīpiat, quia ad nīdum suum adīre nōn audet.”

pullus pīpiat:
“pīpīpī!”

Audītur vōx Mārcī: “Venī, Quīnte! In hāc arbore nīdus est.”

Iūlia: “Ō, Mārcus nīdum videt.”

Syra: “Discēde ab arbore, Iūlia! Mārcus alium nīdum videt, hunc nīdum reperīre nōn potest.” Iūlia et Syra cum cane ab arbore discēdunt. Avis eās discēdere videt et ad nīdum suum volat.

Pullī, quī mātrem suam venīre vident, rūsus pīpīant:

“Pīpīpī!” Pullī cibum exspectant.

Avis pullīs suīs cibum dat.



māter (nōm)
mātrem (acc)